









1725.

1.<sup>o</sup> Gobel, Dr. Melchior: De jure principis ex ea  
religionem. 2 Sculp. 1705 - 1746.

2. Gobell, Joh. Gustavus: De fundis extra curiam.

3.<sup>o</sup> Hartmann, Dr. Zacharias: De usu limitato mandato.  
cum sine placita courtii Caesareo Imperiali  
stalici et Camerac. 2 Sculp.

4. Foerster, Georg Wels.: De personis rigori Cambiali  
subjectis

5. Leyser, Poly carpus: De veterum iurisconsultorum  
notis non juris Priscis.

6. Renschius, Eduard: Origines metalli folinarum  
in Germania.

1726.

1. Commissarii, brevis de Charto horde scripto occasione  
P 23 pr. C. de fff. eccles. ipso tempore Christi natali  
die 2 1726. in scrol. Italiæ pp.

1726.

2. Trebelius, Dr. Wall : De depositione pecuniae juri.

Ci'als' i' processu cambiali obveniente cum salu-  
tione conjuncta.

3. Leyserus, Augustinus : De tabula pacifici

4. Leyserus, Augustinus : Errorem popularum de nesc.  
Maria sententiae et bellum conformatio[n]e.

5. Schrammius, Jones Cens. : De fundamentalis paci  
religiosar.

6. Trerus, Gottl. Samuel : De vera origine aquae  
baptis imperii Romano. Forma*cii*...





Vorl.: Erh. Reusch-  
vgl. Jöcher-Adelung VI,  
Sp. 1867, Nr. 22.

E. 208. 9  
1726, 1 1478

DE  
**CHRISTO HEREDE  
SCRIPTO**

BREVIS COMMENTATIO  
OCCASIONE L. XXIIII PR. C. DE SS. ECCLES.

IPSO  
**IESV CHRISTI NATALI DIE**  
A. clo lccc XXVI  
**IN ACADEMIA IULIA**  
P. P.

---

HELMAESTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

CHRISTO HERDE  
SCRIPIO

DE REBUS CHRISTIATIS  
CONCERNENTIBUS ET DE REbus  
CHRISTI NATALIIS

TESSA CHRISTI NATALIIS DIE  
A.D. 1400.  
AD. 1400.  
AD. 1400.

IN LONDINI  
TYPIS ET SVICOMIS  
VULPIUS.

PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE  
CIVIBVS SVIS

S.



Activitatis IESV CHRISTI memoriam  
salutarem uti ea, qua Christianos de-  
cet, mentis sanctimonia recolamus, ac  
nosmet ipsos, laudabili veterum in-  
stituto, ad grati animi studium ex-  
citemus: qua Iustiniani aetas pietate  
fuerit aduersus Deum, quo eam po-  
tissimum argumento testatam ficerit,  
quae ex isto probatae bonitatis semine, litigiorum ger-  
mina pullularint, quae denique iisdem cohibendis reme-  
dia fuerint comparata, quove ista adminiculo refecata,  
etiam atque etiam considerare libet, Iustiniano praeente.  
Occasionem et materiam scribendi nobis largitur l. 24.  
pr. C. de SS. eccles. cuius verba repetiisse vel ideo non pi-  
gebit, quod qui ANTON. CONTIVM ICti antecesserunt,  
hanc ab eo primum codici additam a) ignorabant.

Επειδήπερ ἐν πολλαῖς ἡδη δια-  
δίκαιαι ἔνεργεις ταυτάταις ἐνοτάσσεις,  
καθ' ἃς ή ἐξ ὀλοκλήρου τις ἔ-  
γειψύς τὸν δεσπότην ἡμῶν χειστὸν  
ἀλεγονόμων, μὴ προσθεῖσι ἐνκτήριον  
δίκιον μιδένας ή αὐτὸν τὸν δεσπότην  
ἡμῶν Ἰησοῦν χειστὸν ἐξ ἡμετείς,  
ἢ ἐξ ἑτέρων ἀνίσων μερῶν, ἔτερον

Quoniam in plerisque nu-  
per testamentis invenimus  
hujusmodi institutiones,  
quibus ex ase quis scripserat  
dominum nostrum Iesum  
Christum heredem, non ad-  
jiciens oratorium aut tem-  
plum ullum, aut ipsum do-  
minus Iesum Christum ex

A 2

semisse

---

a) praetermissorum libro, c. 16.

δέ τινα ἐξ ἡμίσεις ή ἄλλης μοίραις  
(ἢ δι γὰρ πλεον διαθήκαις, κα-  
τὰ τοῦτον γενομέναις τὸν τεσπόν  
ἐνετύχομεν,) καὶ πολλὴ ἀδηλό-  
αν ἐντεῦθεν οὕτων κατὰ τοὺς πα-  
λαιοὺς ὄφελον νόμους, καὶ τοῦ-  
το ἐπανορθουμένοι, θεσπίζομεν  
εἰ μὲν τὸν δεσπότην ἡμῶν Ἰησοῦν  
χριστὸν γεάψει τις κληρονόμοι, η  
ἐξ ὀλοκλήρου, η ἐκ μέρους ἀντι-  
κριτούς δοκεῖν τὸν κατὰ τὴν ἀυτὴν  
πόλιν, η τὴν κάμην, η τὸ χωρίον,  
ἐφ ἣς καθεστηκεὶ τελευτῆσας,  
ἀγιωτάτην ἐκκλησίαν ἐνστασθεῖ  
κληρονόμοι καὶ εἰς ὀλοκληρὸν τὴν  
ἐνστασιν ἀπαιτεῖσθαι παρὰ τῶν  
θεοφιλεστάτων αὐτῆς ὀικονόμων,  
η εἰς τὸ μέρος, καθ' ὅσον κληρο-  
νόμος ἐγεάθη. αὐτοῦ τοῦ κρατοῦν-  
τος, η καὶ ληγάτον η φιλειμο-  
ρίσσον καταληφθεῖ. καὶ ταῦ-  
τα διαφέρειν ταῖς ἀγιωτάταις ἐκ-  
κλησίαις, ἐφ ὃτε εἰς πτωχῶν ἀ-  
ποστροφὴν αὐτὰ προχωρεῖν.

semisse, vel aliis inaequali-  
bus partibus, alium vero  
quempiam ex dimidia vel  
alia portione, (jam enim in  
complura hujusmodi testa-  
menta incidimus,) cum vi-  
deremus multam exinde in-  
certitudinem secundum ve-  
teres leges exoriri. Nos  
hoc etiam emendantes san-  
cimius, si quidem dominum  
nostrum Iesum Christum  
scripsit quis heredem vel ex  
asse, vel pro parte, manife-  
ste videri ipsius civitatis,  
vel castelli, vel agri, in quo  
constitutus erat defunctus,  
ecclesiam sanctissimam in-  
stitutam esse heredem, et  
hereditatem peti debere per  
Deo amantissimos ejus oe-  
conomos ex asse, vel pro  
parte, ex qua heres institutus  
est: eodem obtinente,  
et si legatum vel fideicom-  
missum relictum sit; ut ipsa  
competant sanctissimis ec-  
clesias ad hoc quidem, ut ad  
pauperum alimoniam con-  
ferant.

Quaestio, num Christo hereditatem tradere, aut  
in partem eundem vocare tum licuerit? nullam omni-  
no dubitationem habebat. Singula ferme legis verba  
id

id arguunt, imo firmissime evincunt. Sive enim cogitemus 1) testatorum frequentiam, qui 2) hereditatem ex asse, semisse, aliisve partibus quibuscunque, 3) Christo, 4) et soli et cum coheredibus instituto, adscriptae rurunt; five 5) sententiae adverfae ratiunculam, 6) ipsam ve spectemus veram et solidam rationem, qua imperator commotus, certa rem ambiguam constitutio ne definivit; five denique animum advortamus ad ipsius facti 7) et repetitionem, 8) et decisionem, vi cuius 9) curia seu ecclesia, quam vocant, parochialis, defuncti hereditatem petebat 10) per oeconomos, seu dispensatores domesticos, aut 11) legata et fideicomissa capiebat, 12) ad pauperum alimoniam eroganda: dicendum utique est, per leges fieri potuisse, ut testatorum patrimonia testamentis ad Christum pervenirent. Et quis dubitet, quum inde a Constantini tempestate, venerabili concilio relinqui potuerit, libero supremae voluntatis stilo, et licito, quod iterum non redit, arbitrio.

b) Neque vero solum decedentes ex hac vita, post mortem demum pii videri volebant, ac re ipsa testari, qua doctrina fuerint imbuti, dum viverent: sed et vivi beneque valentes, quotquot sacrorum nostrorum erant participes, decimas frugum, votis nuncupatis, sacerdotibus libabant et pauperibus.

c) Erat nempe et haec ipsorum liberalitas, quae martyribus, apostolis, ipsique Christo, fiebat,

d) legibus permitta et corroborata.

A 3

b) *I. i. C. de SS. eccl. I. 4. C. Tb. de episc. eccl. et cler. lib. XVI.*  
ad quam legem docte commentatus est GVL. FORNERIVS  
*selectionum lib. I. c. 28.*

c) *PAGANINVS GAVDENTIVS de Iustiniane faeculi moribus*  
*part. I, cap. 23. 24.*

d) *I. 15. I. 19. C. de SS. eccl.*

rata. Quae licet clarissima sint et indubitata , alia tam  
men legem premit obscuritas: quam ut felicius tollamus,  
paullò altius erit repetendum, a quanam causa profec-  
ta sit haec constitutio ? tum quo consilio testatores  
Christo reliquerint ? cur denique locum, si cui reli-  
ctum vellent, ipso nomine non appellari?

Ad primum caput , a quanam caussa profecta sit  
haec constitutio , quae sacerdotibus et egenis tantopere  
favit? a PROCOPIO , si ad hanc vitam rediret, haud du-  
bie responsum ferremus, quia Iustinianus , dum sacer-  
dotibus aliorum possessiones inique invadentibus indul-  
get , pius erga Deum videri e) volebat , sua aliorum  
que crimina pietate obtegens. At nihil caussae subest,  
cui simulatori egregio, qui, a mendacio contra verita-  
tem stare , non unis argumentis convictus est , creda-  
mus potius , quam incorruptis integerrimisque aliorum  
testimoniis , qui imperatoris studium sacrarum littera-  
rum , quas a Theophilo edocitus , ad multam usque no-  
citem , ipsius PROCOPII f) elogio , cum viris Deo dedi-  
tis indagavit , et laudabilem egentium curam multiplici  
laudis genere praedicant. g) Ista igitur nequissimi ob-  
trectatoris nugas contemnimus , et paullò curatius in-  
quirimus , an Tribonianus , cui hanc legem acce-  
ptam ferunt nonnulli , uti alias , ita hac quoque sanctione ,  
fraude solita usus , quasi per ipsum Christianorum latus  
petierit Christianam religionem , quam is hujus osor  
acerrimus eversam cuperet ? Frigidam huic sententiae  
suffundere videtur DIONYSIVS GOTHOFREDVS ,  
V.C.

e) anecdot. n. 126, 177, 179.

f) de bell. Goth. lib. III.

g) Veterum testimonia legesis in IOAN. EICHELII , ICti  
nostratis , animadversionibus ad Procopii avendota , p. 62. 63.

V. C. dum ad h. l. annotat, quibusdam deorum, h) non omnibus promiscue, beneficii loco datum esse, ut ex testamentis caperent : quasi Christo privilegium non dissimile esset concessum. At frustra esse hos auctores, et sine ulla veri specie haec dici, quis non videt ? Provent, si possunt, quibus ista perplacent ; probent, Tribonianum hujus legis auctorem esse. Cognitum est omnibus, ignotum nemini, quum priorum saeculorum imperatores multas leges conderent de religione, deque religionis antistitibus; i) nihil tamen de negotiis ad rem sacram pertinentibus eos innovasse sine consilio suffragioque antistitum, quos vel domi consulebant, vel in publicis confessibus de rebus religiosis in commune liberantes audiebant. Si de re militari est consulendum, inquit AMBROSIVS, k) debet exercitati in praediis viri expectari sententia, consilium comprobari. Quando de religione tractatus est, Deum cogita. Et post pauca interjecta : Si civilis causa esset, diversae parti responsio servaretur : causa religionis est ; episcopus convenio. Idem alibi disertius : l) Tu nique, quem nemo cogebat, nemo habebat in potestate, debuisti sacerdotem consulere. Non ergo immerito suspicantur viri doctissimi, Iustiniano, quum edictum hoc ferret de rebus Christianorum, Tribonianum consilii adjutorem non fuisse, sed Epiphanius, praesulem Constantinopolitanum, quem is auctorem fecutus esse perhibetur, m) eum videlicet, ad quem lulen-

h) Quos CAIUS institut. lib. II, tit. 7 enumerat : ad quem locum quae IAC. OISELIVS scripsit, legi merentur.

i) GAVDENT. l.c. cap. 4.

k) Epistola ad Valentinianum imp. contra Symmachum.

l) Epistola ad Eugenium.

m) CAESAR BARONIVS annal. eccles. tom. VII ad a. 528, et HENR.

culenta de sanctis fidei dogmatibus epistola n) est prescripta. Deinde neque privilegium esse, idque ex mera alienigenarum superstitione irrogatum, tum bona hereditaria pauperibus transcripta comprobant, tum altera MANVELIS COMNENI constitutio, o) qua, Christo herede facto, judicium validum ac firmum esse voluit. In hujus vero aetatem, neque ulla cadit suspicio pravae gentium aemulationis, neque alia ex ipsis ratiocinationibus convenit. Quare nec illo egemus argumento, quo multos non satis feliciter pugnare observatum est, quasi is, qui sapientissime prospexit, ne Paulus testimonium reciperet a Pythonis spiritu; p) qui nec ipse homines, q) nedum daemones, r) sibi testes esse passus est; qui cohibuit, ne senatus Romanus auctoritatem comodaret vesano Tiberii conatui, Christum in deorum numerum referre voluntis: s) idem quoque obstatisset utique, ne, privilegio dato et accepto, ad eorundem classem adscriberetur, ac diis, quasi unus ex illis, aequipararetur.

Accedendum nunc est ad alterum, quod supra posuimus, caput, quo consilio Christum in hereditatem venire jussierint testatores? CAESAR BARONIVS, t) et qui vastum hujus opus in arctum contraxit, HENRICVS SPONDANVS, u) videntur in eam concessisse sen-

HENR. SPONDANVS ad eund. ann. M. ANT. DE DOMINIS de rep. eccl. lib. VI, c. 6, n. 55.

n) I. 7. C. de summa Trinit.

o) Confl. I. p) Act. XVI, 16.

q) Ioan. V, 34.

r) Matth. VIII, 29. Jqq. Marc. I, 24. Jqq.

s) TERTULLIANVS apud NICEPHORVM H. E. lib. II, c. 8.  
Conf. CONR. RITTERSHUSIVS, Brunsvigae Altorfisque decus immortale, lect. sacr. lib. VII, c. 22.

t) Annal. eccles. tom. VII ad a. 530. n. 45.

u) ad ann. 530. n. 4.

sententiam, quasi cives subjecti ad heri exemplum te  
composuerint, ac propterea, quum ille studio excitandarum aedium sacrarum teneretur, hos quoque moribundos ecclesiis legasfe facultates suas, easque in templis ex-aedificandis impendi voluisse: sed ita loquuntur ambigue atque perplexe, ut satis appareat, eos sibi ipsis non constitisse, nedum legis verba, ad quae provocant, curate satis inspexisse. Magis ad speciem valuisset, propiusque caussae duumviri illi inserviissent sua, si patrimonia morituros Christo obtulisse dixissent cogitando crimina, quae expianda pauperes deprecarentur; aeternamque salutem exspectando, quam Deus ipsis propitiis retribueret. Neque magnopere laborassent, quibus firmamentis stabilirent, quae affirmarant: ejus enim veterem auctorem laudare potuissent MANVELEM COMNENVM, qui maturanda esse judicia, quae inter litigantes hoc de negotio committuntur, eam potissimum ob caussam voluit, ne inanis eorundem dilatio detrimen-tum inferat defunctorum animis. Συμβάνει γαρ ἐντεῦθεν τὰς τῶν τελευτῶν ἔμμονοθεῖαι ψυχάς. Contingit enim hinc, ut defunctorum animae damnum subeant. Aevi certe Iu-stiniane historiæ nos edocet, insedisse jam tum mentibus hominum eam persuasionem, quasi noxa quaecunque oblatione lueretur. Vnus instar omnium testis erit HIERONYMVS, x) ipso saeculo superior, publice, inquiens, recitantur offerentium nomina, et redemptio peccatorum mutatur in laudem. At quoniam Justiniani lex nullam hujus rei suspicionem injicit; non magis horum commenta admittimus, quam ista aliorum,

B

qui

x) lib. II ad Hierem. XI, p. 291. Conf. theologus è nostris excellenter eruditus, IOAN. FECHTIVS de orig. et superstitione missarum c. 4, n. 7 plurimisque seqq.

qui hujus loci propriam esse arbitrantur disputationem eam, quam de Christi corpore, corruptioni naturaeque imbecillitatibus haud obnoxio, Iustino seniore Iustinianoque imperantibus, ingressi sunt acephali, agnoetae, horumque infelix suboles, αφθαρτούσιται et φθαρτολάγει seu corrupticola: y) quorum alterutri e sectae sua disciplina, non odio, sed bono animo, sed affectu Dei, honorare se dominum atque amare credentes, z) eo devenerunt, ut Christum heredem facere mallerent, quam quemvis alium. Auget suspicionem, quod Iustinianus ipse edicto istam sententiam a) propugnavit, quum vitae partem maximam fere exegisset: quam caussam subesse calumniantur, cur tam pronus esset facilisque ad ea stabilienda, quae a testatoribus non satis provide constituta esse, pronuntiare ipsum oportuisset. Sed caritas, non male cogitans, sperare jubet, neminem quenquam testatorum monstri quid aliuisse. quae ut vera putemus, his potissimum rationibus inducimur, quod, quo anno hanc legem promulgavit imperator, pervervae istius doctrinae semina tam late sparsa necdum fuerunt: deinde quod ejus sectatoribus, si qui fuissent, testamenti factio erat adempta. b)

Supereft, ut tertio loco disquiramus, quid caussae sit, quare locum, si cui relictum vellent, certo suo ac proprio vocabulo nominare neglexerint testatores. Inde enim nascebatur dubitatio, quasi institutio inanis esset et nulla, utpote sine certo consilio facta: c) et haec est illa

*admodum*

y) De quibus videndi LIBERATVS DIACONVS in breviaario, NICEPHORVS lib. XVII, c. 29. ISIDORVS origg. lib. VIII, 5. aliquie.

z) SALVIANVS.

a) EVAGRIVS lib. IIII, c. 38.

b) I. 19. C. de haeret.

c) §. 25 I. de legat. VLPIANVS 22, 4, ibique SCHVLTIN-  
GIVS

χρηματία κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους, de qua imperator conqueritur. Caussa vero non fuit alia, quam quia Christi nomen, legum tabulis convenienter ipsos demonstrabat pauperes: nec ulla suberat ambiguitas. Servator enim benignissimus beneficia in miseros et laborantes collata sibi imputat. d) τοῦ γὰρ αὐτοῦντος λαμβάνοντος, ἵσταται ὁ Χριστὸς συγκοιλαῖνων τούτῳ τὸν χεῖρα. ἐφ' ὅσου γάρ, Φησὶν, ἐν τούτων τῶν ἐλαχίστων ἀδελφῶν ἐποίησατε, ἐμοὶ ἐποίησατε. Multi homines, verba sunt MANVELIS COMMENI, in extremis suis dispositionibus procuratores seu executores eorum, quae praescripserunt, relinquunt, iisque Christo, dulci isto ac mundo salutari nomine, herede scripto, rerum suarum dispensationem atque administracionem injungunt. Hoc autem videntur facere, cum pauperibus substantias suas dividi praecepint. Cum enim mendicans accipit, adstat Christus, ac una cum illo manum porrigit. Quatenus namque, inquit, uni ex minimis hisce fratribus fecisti, mihi fecisti. Deinde usitata non solum loquendi formula erat, sed etiam quotidiana, ut, qui in testamentis benefici essent erga aerumnosos, Christum heredem reliquisse dicerentur. CHRYSOSTOMVS: e) ἐν ταῖς διαθήκαις τὸν Χριστὸν κατάλπει πληρούμον. ἔδει γὰρ μὲν ζῶντα τοῦτο γὰρ προαιμέσσεως δεθῆς ἦν. ἀλλ' ὅμως καὶ ὑπὸ τῆς ἀνάγκης γενεῦ Φιλοτιμότερος. καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς διὰ τοῦτο προσέταξε διδόναι πένητων, ἵνα ζῶντας ἡμᾶς Θιλοσόφους ἐργάστηται, ἵνα πείσῃ χειράτων καταΦρονεῖν, ἵνα ὑπεροχῶν διδάξῃ τῶν γηνῶν. In testamento Christum relinquere heredem.

B 2

nam

GIVS. IVL. PAVLLVS III sentent. IIII, §. 3, de institut. heredum, et tit. VI, §. 13. de legat.

d) Matth. XXV, 40, 45.

e) in epist. ad Ephes. cap. V, hom. 18.

nam oporteret quidem viventem. hoc enim esset recte instituti liberi arbitrii. sed tamen vel a necessitate fias liberalior. Etenim propterea Christus iussit te dare pauperibus, ut nos viventes redderet philosophos, ut persuaderet despicer pecunias, ut doceret terrena contemnere. Nemini vero mirum videbitur, in sanctione juris caussam afferri e sacra oraculorum caelestium doctrina petitam. haec enim consuetudo a ICrorum rationibus nequam aliena est. Scantiniae legis crimen flaminis ulciscuntur Valentinianus, Theodosius et Arcadius, f) ut universi intelligent, *sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animae.* g) Liquet denique, heredem incertum non esse, sed rite recteque institutum intelligi, quem testator signis et demonstrationibus quibuscumque, e quibus de voluntate ipsius manifeste constare potest, ostendit et declarat, uti vel primis Iustinianis non est incognitum. Quamvis enim sigillatim demonstretur nemo: in universum tamen patet, quem sibi heredem optet moriens; nihilque magis, vel ipsius Servatoris effato, h) certum est, quam certa est egentium multitudo, et praesentia, quos semper nobiscum habebimus. Quare dicendum est, venerabili Christi nomine addito, eos, ratam magis et inviolabilem futuram esse voluntatem suam, jure confidisse.

Atque nunc plane perspicimus, qui hominum mentes scrupulus maxime ursurit, et quae res in contentio nem venerit. Erant plura loca, quibus alebantur in for-

f) *I. 7. C. Th. ad L. Iul. de adult. lib. VIII, ibique I. A. C. GOTHOFREDVS.*

g) *1 Corinth. III, 16, 17. Conf. PAUL. BAVLDRI ad Lactantium de mortibus persecutorum p. 121, 122. et STEPH. BALVIZIVS ad eund. p. 34.*

h) *Matth. XXVI, II, Ioan. XII, 8.*

fortunati, xenones, nosocomia, orphanotrophia, prochotrophia, gerontocomia, brephotrophia, monasteria, ipsae denique ecclesiae. i) Et Constantinopolitanorum curia-  
ta aedes hoc sibi munus tanquam praecipuum deposcere videbatur, eo quod omnium aliarum caput k) esset, et ce-  
leberrimum Sophiae templum, summa religione cultum,  
l) Christo, a quo, aeterna patris sapientia , m) nomen  
traxerat , sacratum esse perhiberetur. n) Poterant et  
defuncti voluntatem, agnati eam in partem interpretan-  
do explicare , ut hereditas viritim distribueretur inter  
egentes , neque de eadem quidquam in commune pau-  
perum aerarium conferretur. Has similesque tene-  
bras ut dispelleret imperator, omnesque obscuritates in  
aperto certoque juris tramite collocaret, edixit, eccl-  
esiam, quam vocant, parochiale, seu, ut latinus loqua-  
mur, curiam o) ejus loci, in quo domicilium habuerat de-  
functus, heredem esse, quae per dispensatorem domesti-  
cum, qui a Germanis alicubi *der Heilig* appellatur, p) petat  
hereditatem, eamque in usus hominum tenuiorum atque  
inopum eroget. Sit heres, sed mater filiorum, id est, gregis  
sui, ecclesia, quae illos genuit, nutrit, pavit. q) Caussas hu-  
B 3 jus

i) L. 19, 22 C. de SS. eccl.

k) L. 24 C. eod.

l) PROCOPIVS anecdot. plag. C 3. Conf. HVB. GIPHAN.  
*de Iustiniano imp. p. m. 40 et FRANC. GVINETVS cap. 16.*m) Coloss. II, 3. CLEMENS Alexandrinus Stromat. lib. VI, p. m.  
644. IOAN. CHRYSOSTOMVS serm. in Stephanum, tom.  
VI. p. 277. c.

n) NICEPHOR. lib. VII, cap. 49.

o) GVIL. BVDAEV S annotatt. poster. ad l. ult. §. 10. D. de mu-  
ner. et honor.p) CHRISTOPH. BESOLD. thesaur. pract. voce *Fabric.*q) HIERONYMVS epist. 2 ad Nepotian. de vita cleri orum et  
sacerdotum.

ius decisionis, quas a juris pontificii doctoribus plena manu ingeri novimus, scientes silentio praetermittimus. Hanc solam imperator satis praegnantem ratus est, ut malis domesticis impeditos, quorum innumerabilis erat multitudo, quod perversis errantium placitis addicti recte sentientes ejiciebant possessionibus, bonisque omnibus spoliabant, heredes admitteret. Ita namque imitabatur studium alendorum pauperum, quo Christianos veteres omnis celebrat historia. Iam inde enim ab initio salutis per Christum recuperatae, viri, qui divino cultui ministeria religionis impendunt, r) h. e. clerici, presbyteri et diaconi, pecunias in communione collatas, antistitis arbitratu erogabant in pauperes.

s) Et eorum demum Christianorum, seu clericorum, verus esse cultus recte dicitur, t) qui adjuvare pauperes et positos in necessitatibus volunt, et qui, si quid vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura, honestati tamen conscientia, congeßerint, in usum pauperum atque egentium ministrant. u) Praeterea civile, populare et prudens consilium erat, quo regendi peritiam imperatoris censeas, ut sumptum largissime praeberet infantibus, senibus, morbo, paupertate vel alia quavis difficultate laborantibus, sublata inutili frumentariae largitionis expensa, qua, tanquam vinculo quodam, in opem plebeculam potentiores olim in rep. Romana ci-  
ves,

r) l. 2. C. Th. de episc. eccles. et cler. lib. XVI.

s) Canon. apostol. 40. Add. PETRVS GREGORIVS Tholofanus XV syntagm. 20.

t) l. 2 C. Th. de iustiali collatione lib. XIII. ibique GOTHONO FREDVVS.

u) l. 14 C. Th. eod. Qui plura nosse cupit de eo, quam soliciti fuerint Christiani de explendis aliorum egestatibus, audeat FRANC. DVARENVM de sacr. eccles. et benef. lib. II, c. I.

ves, et, oppressa deum rep., Caesares sibi obstric~~am~~  
semper in manu habuerant. x)

Haec ea sunt, quae hoc quidem tempore in usus  
vestros, C I V E S suavissimi, commentari libuit, ut mentes  
animosque vestros exfuscitaremus ad sacra IESV C H R I-  
S T I natalitia pie quieteque peragenda. Gaudio exfus-  
tit omnis Christianorum coetus de beatitatis sempiter-  
nae hereditate, qua excideramus miseri, per Soterem  
eum recuperata, qui, dum inter homines vitam dege-  
bat, possessiones non habebat, ubi caput reclinaret,  
aut requiesceret, y) sed tenui forte contentus, et sibi et  
suis propriebat de vitae necessitatibus, facultates, quae  
obvenerant, diligenter custodiens. z) Laetatur, Dei  
nos heredes factos esse et coheredes gloriae Christi, a)  
ingentemque hanc nobis omnibus laetitiam nuntiat, to-  
ti populo futuram. Hujus igitur quotquot participes  
fieri cupiunt; cupiunt autem omnes ac singuli; publi-  
ce privatimque, in sacris conventibus, et in museo,  
sacra, quae nostro commodo prodita sunt, oracula le-  
gendo, audiendo, meditando, tanti beneficij memo-  
riam recolant, indeque ab initio repetentes, nomen  
re ipsa profiteantur inter hominum quietissimos, quo  
Dei filii atque heredes facti non tantum bonis abund-  
ent, terraque hereditates possideant, b) sed et altera  
illa vita ne se indignos judicent priventque. Non  
ignoratis, excludi eos hereditate, qui ad graves testa-  
toris

x) THOM. RIVIVS in defensione Iustiniani contra Alemannum,  
apud EICHELIVM p. 298. 299.

y) Luc. VIII, 58.

z) Ioan. XIII, 29.

a) Rom. VIII, 17.

b) Matth. V, 4.

toris inimicitias descendunt. c) Nolite ergo Soteri vestro inimicitias indicere. Nescitis, mundi amicitiam, Dei esse inimicitias? qui vult amicus esse mundi, inimicus efficitur Dei. d) Facinora et crimina Numen sanctissimum usque exosum est. Caveatis, quae sumus, ne forte obruantur animi vestri crapula et ebrietate: imo vero rerum vestrarum satagentes, sapientiae thesauros amplissimos colligatis, tandemque fidei atque prudentis servi felicitate gaudeatis, et cum Christo ad aeterna caelorum gaudia aliquando ingrediamini. Vnum denique vos volumus, ut non tam Iustiniane aevi testatorum frequentia admoniti, sacerdotibus, qui animorum curam agunt, hanc gratiam et benevolentiam praestetis, ipsis jure debitam, ut de fortunis vestris in ipsis quoque liberales sitis; quam Israelitarum potius exemplum e) ad imitandum vobis proponatis, atque ad tabernaculum et sacra, quae illi procurant, ultro plus etiam conferatis, quam quantum postuletur. Parata fit liberalitas vestra, f) prout quisque animo destinavit, non aegre, non invitus. hilarem enim datorem amat D E V S. P. P. Helmaestadii in academia Iulia d. xxv Decembris A. MDCCXXVI.

c) I. 9. D. de his, quae ut indign.

d) Iac. IIII, 4.


e) Exod. XXXVI, 4. seqq.

f) 2 Corinth. VIII, 5. 7.

**ULB Halle**  
007 365 365

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-771936-p0026-4

DFG

